

- XI. Christus non est Rex mundanus, Joh. XII. 36.  
XII. Neque talis futurus est ante finem mundi, I. Cor.  
XV. 25. 26.

Disp. XXV.

De

Statibus Christi.

I.

**N**on datur status inter exinanitionem & exaltationem  
medius. Psalm. CX. ult.

II. In conceptione Christi, virtus altissimi, Luc. I.  
35. Mariam obumbrans, ipsâ vocis proprietate omnipoten-  
tia DEI est, supplens in Maria, quod ex se efficere illa sola  
non poterat. Obumbrabat autem Mariam, ut DEus arcam  
testimonii, Ex. XL. 34. præsentiam suam uterum ejus Divini-  
tate secundæ personæ ita implendo, ut quod ex eâ nasceba-  
tur, Filius DEI vocari posset.

III. Rectè verequè in Harmoniâ Chemnitius: ideò  
tam breviter simpliciterque nativitatem Christi descriptam  
esse, Luc. II. 7. ut sciamus, omnia ordinario modo facta,  
nec quærenda hic esse miracula.

IV. Status humiliationis terminatus est in morte, mor-  
tem includendo, quousque illa duravit. Phil. II 8.

V. Christum etiam sec. carnem semetipsum ex mor-  
tuis resuscitasse, solis radiis scriptum est, Joh. X. 18.

VI. In Epistolâ tamen ad Rom. I. 4. ubi Christus dici-  
tur demonstratus Filius DEI *ex resurrectione*, non suam ex  
mortuis, sed *mortuorum*, ii potius intelligi videntur mor-  
tui, qui cum Christo surrexerunt, Matth. XXVII. 53. 54.  
Non tamen excluso Christo, tanquam primogenito ex  
mortuis. Varenius.

VII. Nihil sanguinis Christi unquam computruit, aut  
corrumpi potuit. I. Petr. I. 18. 19. Act. II. 27.

VIII. Immeritò de eo dubitavit Augustinus: & ex hu-  
jus, aliorumque patrum incommodis de sanguine Christi  
locutionibus P. Allixius immeritò absentiam sanguinis Chri-  
sti ex sacrâ cœnâ collegit.

E

IX. Chri-